

Deinde cum dicit, "Harum autem duplex est modus," dividit praedicta principia, dicens, quod praedictarum communium animi conceptionum duplex est modus. Quaedam enim animi conceptiones sunt communes hominibus omnibus; sicut ista, "Si ab aequalibus aequalia auferas, quae relinquuntur sunt aequalia." Alia vero animi conceptio est communis solum doctis, quae derivatur a primis animi conceptionibus, quae sunt omnibus hominibus communes: et huiusmodi est, "incorporalia non esse in loco;" quae non approbantur a vulgo, sed solum a sapientibus. Huius autem distinctionis ratio est, quia cum communis animi conceptio, vel principium per se notum, sit aliqua propositio ex hoc quod praedicatum est de ratione subjecti: si illud idem quod significatur per subjectum et praedicatum, cadat in cognitionem omnium; consequens est quod huiusmodi propositio sit per se nota omnibus; sicut quid sit aequale, notum est omnibus, et similiter quid sit subtrahi; et ideo praedicta propositio est¹ omnibus per se nota: et similiter, "omne totum est majus sua parte," et aliae huiusmodi. Sed ad apprehendendam rem incorpoream solus intellectus sapientum consurgit: nam vulgarium hominum intellectus non transcendunt imaginationem, quae est solum corporalium rerum: et ideo ea quae sunt propria corporum, puta, esse in loco circumscriptive, intellectus sapientum statim removet a rebus incorporeis; quod vulgus facere non potest.

LECTIO II.

TEXTUS

Diversum est esse, et id quod est: ipsum enim esse nondum est. At vero id quod est, accepta essendi forma, est, atque consistit. Quod est, participare aliquo potest, sed ipsum esse² nullo modo aliquo participat. Fit enim participatio, cum aliquid jam est. Est autem aliquid cum esse susceperit. Id quod est, habere aliquid, praeterquam quod ipsum esse,³ potest; ipsum vero esse nihil aliud praeter se habet admixtum. Diversum est tamen esse aliquid in eo quod est,⁴ et esse aliquid: illic enim accidens, hic substantia significatur. Omne quod est, participat eo quod est, esse, ut sit; alio⁵ vero participat ut aliquid sit; ac per hoc id quod est, participat eo quod est esse, ut sit; est vero,⁶ ut participare alio quolibet possit.⁷ Omni composito aliud est esse, aliud ipsum est. Omne sim-

¹ Al. in omnibus.² Al. deest esse.³ Al. est.⁴ Al. diversum est, tantum esse aliquid, et esse aliquid in eo quod est.⁵ Al. alia.⁶ Al. est vero, ut participat alio quolibet.⁷ Al. hae duae sententiae inverso ordine ponuntur.

plex, esse suum, et id quod est, unum habet. Omnis diversitas discors; similitudo vero appetenda est. Et quod appetit aliud, tale ipsum naturaliter esse ostenditur quale est illud¹ ipsum quod appetit. Sufficiunt igitur quae praemisimus: a prudente vero interprete rationis suis unumquodque aptabitur argumentis.

EXPLANATIO

Supra Boetius dixerat, hoc ordine se processurum ut prius praemitteret quosdam terminos et regulas, ex quibus ad ulteriora procederet; et ideo secundum ordinem praetaxatum, primo incipit praemittere quasdam regulas, sive conceptiones quasdam sapientum; secundo ex illis incipit argumentari, ibi, "Quaestio vero huiusmodi est." Sicut ante dictum est, illae propositiones sunt maxime notae quae utuntur terminis quos omnes intelligunt. Ea autem quae in omni² intellectu cadunt, sunt maxime communia; quae sunt ens, unum et bonum. Et ideo ponit hic Boetius primo quasdam conceptiones pertinentes ad ens; secundo quasdam pertinentes ad unum, ex quo sumitur ratio simplicis et compositi, ibi, "Omni composito aliud est esse, aliud ipsum est;" tertio ponit quasdam conceptiones pertinentes ad bonum, ibi, "Omnis diversitas discors." Circa ens autem consideratur ipsum esse quasi quoddam commune et indeterminatum: quod quidem dupliciter determinatur; uno modo ex parte subjecti, quod esse habet; alio modo ex parte praedicati, utpote cum dicimus de homine, vel de quacumque alia re, non quidem quod sit simpliciter, sed quod sit aliquid, puta album vel nigrum. Primo ergo ponit conceptiones quae accipiuntur secundum comparisonem esse ad id quod est; secundo ponit conceptiones quae accipiuntur secundum comparisonem ejus quod est esse simpliciter, ad id quod est esse aliquid, ibi, "Diversum est tamen esse aliquid in eo quod est, et esse aliquid." Circa primum duo facit. Primo ponit differentiam ejus quod est esse, ad id quod est; secundo manifestat huiusmodi differentiam, ibi, "Ipsum enim esse nondum est." Dicit ergo primo, quod diversum est esse, et id quod est. Quae quidem diversitas non est hic referenda ad res, de quibus adhuc non loquitur, sed ad ipsas rationes seu intentiones. Aliud autem significamus per hoc quod dicimus esse, et aliud³ per hoc quod dicimus id quod est; sicut et aliud significamus cum dicimus currere, et aliud per hoc quod dicitur currens. Nam currere et esse significantur in abstracto, sicut et albedo; sed quod

¹ Al. additur hoc.² Al. in omnibus.³ In editione Romana anni 1570, et duabus Venetis Nicolini et Scoti, et aliud significamus cum dicimus currere, intermediis omissis.